

IN IOANNEM BAPTISTAM N.

TECTO NOMINE RUFUM

Ephebei cuiusdam olim alumnum.

Rufe, voluptatum quid cæco in gurgite mergi,
 Arbore quid vetite carpere poma iuvat ?
 Flore ævi in primo, solamen dulcæ parentum,
 Indole præstabas, moribus et niveis.
 Tum puber cupide scrutari, attingere verum.
 Totusque ardebas pulchra et honesta sequi :
 Strenuus in primis æpuævos inter ephebos
 Divinæ cultor religionis eras :
 Atque ipsa o quoties te vidit serta rosarum
 Ante aras pronum nectere Virgo suas !
 At nunc o quantum subito mutatus ab illo es !
 Virtutis veteris concidit omne decus.
 Degeneri affectu, miseroque cupidine fractus
 Fœdari hæu ! pateris, sus ut amica luto.
 O Rufe infelix, quæ te dementia cepit !
 Appetis has sordes, hæccine stultus amas ?
 Ah facti pudeat ! cœno caput exsere tandem :
 Ex imo deflens elue corde luem.
 Abnus ? et vocem quæ te compellat amice
 Ne pereas, surda respuis aure miser ?
 Exitium struis ipse tibi ; ne fide !... profundum
 Lapsu præcipiti volveris in barathrum :
 Atque Erebi in tenebris, ubi spes iam nulla salutis,
 Aeternum crucians poena luenda manet,
 Ah ! precor, avertat triste omen candida Virgo,
 Neu miserum mater deperiisse sinat.
 Ipsa adsit mirero, placidoque arrideat ore,
 Nutanti præsens porrigat Ipsa manum.

NEANDER HERACLEVS.